MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81409-9

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BASTGEN, PHILIPP

TITLE:

QUO TEMPORE ET CONSILIO PINDARUS...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1883

Master Negative #

93-81409-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



88P63
DZ8 Bastgen, Philipp, ~~Gp 75.322~~
v.1 Quo tempore et consilio Pindarus carmen Olympicum secundum et tertium composuerit. Dissertatio philologica... Monasterii, typog. Krickiana, 1883.
36p. 21 cm.

Thesis, Münster.

Volume of pamphlets

38244

*Pindarus-Olympica ii, iii HCL 12-5095

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 (O) REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5.14.93 INITIALS CS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

1585 No. 2

QUO TEMPORE ET CONSILIO PINDARUS CARMEN OLYMPICUM SECUNDUM ET TERTIUM COMPOSUERIT.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XII. MENSIS MARTII A. MDCCCLXXXIII

IN PUBLICO DEFENDET

PHILIPPUS BASTGEN
RHENANUS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA KRICKIANA.
MDCCCLXXXIII.

IOANNI MATTHIAE STAHLIO

S.

Argumentum et compositionem singulorum Pindari carminum si consideramus, facile perspicimus nonnulla statim post victoriam ipsam eo loco, quo ludi agebantur, a poëta scripta et in corona eorum, qui ad ludos spectandos convenerant, recitata esse[1]). Nam cum brevissimo tempore ea carmina non solum componenda sed etiam docenda essent, simpliciora sunt quam reliqua, in quibus conscribendis poëta plus temporis consumere itaque maiorem artem praestare poterat. Pleraque autem, quae nobis tradita sunt, carmina a Pindaro conscripta videntur esse, ut postea in victoris patria cantarentur. Cives enim summo honori sibi ducebant, si unus ex ipsorum numero in celeberrimis illis ludis, quibus universa fere Graecia interesse solebat, corona ornatus erat. Splendidissima pompa, quae recte cum triumpho imperatorum Romanorum comparata est, victor ovans in urbem ingressus primum ad templum dei, cui praecipue ob victoriam reportatam gratia referenda esse videbatur, procedebat et inde, cum sacrificia rite peracta essent, prosequentibus civibus domum suam redibat. In ipsa hac pompa nonnulla carmina cantata esse ea re apparet, quod continuatis iisdem strophis continentur et epodo, quem a choro non procedente, sed stante cantatum esse com-

1) Cf. L Schmidt Pindars Leben und Dichtung pg. 343. Ol. VIII 9—10.

perimus [1]), carent [2]). Sed postero quoque tempore quotannis ad revocandam victoriae memoriam dies festus agebatur, et facile intellegitur ea carmina, quae eximia argumenti granditate et summa compositionis arte excellunt, a poëta scripta esse, ut in iis sollemnibus recitarentur, quae publice magno cum apparatu institui solebant. In singulis igitur carminibus quaeri potest, utrum a poëta composita sint, ut statim post victoriam an post victoris in patriam reditum cantarentur, utrum a Pindaro scripta sint, ut ipso die, quo victor urbem intrabat, an ut postea, cum denuo dies festus ad victoriam celebrandam institutus esset, recitarentur. Non in omnibus carminibus hoc certo diiudicari potest, sed in secundo et tertio carmine Olympico satis gravibus argumentis et certa ratione, quo consilio a Pindaro composita sint, videtur demonstrari posse, quamquam in partes prorsus diversas discesserunt viri docti, qui de ea re iudicium fecerunt. Quae cum ad ipsa haec carmina recte intellegenda summi sit momenti, subtilius hanc quaestionem examinare et, quantum per me fieri posset, ad liquidum perducere constitui.

Utrumque carmen ad eandem Theronis victoriam pertinere ea re comprobatur, quod, quantum nos quidem cognoscere possumus, Thero semel tantum Olympiae victor renuntiatus est. Heynius, quem binas Theronis victorias Olympicas statuisse ex iis comperi, quae Boeckhius ad secundum carmen Olympicum exposuit [3]), sine dubio erravit, cum carminis Isthmici

[1]) Cf. schol. ad Euripidis Hec. v. 647: ἰστέον δὲ ὅτι τὴν μὲν στροφὴν κινούμενοι πρὸς τὰ δεξιὰ οἱ χορευταὶ ᾖδον, τὴν δ' ἀντιστροφὴν πρὸς τὰ ἀριστερὰ, τὴν δ' ἐπῳδὸν ἱστάμενοι ᾖδον.

[2]) Cf. Ol. XIV, Pyth. VI, XII, Isthm. VII, Nem. IV, IX.

[3]) Dicit enim vol. II 2 pg. 114: ‚errat Heynius binas Theronis

secundi versus 25—28 ad alteram Theronis victoriam referendos esse contenderit. Namque hoc nullo modo statui potest, nisi carmen Isthmicum secundum ante eam, quae carmine Olympico secundo laudatur, victoriam Olympicam scriptum esse demonstratur. Sed illud carmen a Pindaro post Olympicum secundum compositum esse facile ipsorum carminum argumento cognosci potest, quo illud Xenocrate mortuo, hoc autem Xenocrate vivente scriptum esse apparet. Xenocratem, cum carmen Isthmicum secundum componeretur, mortuum fuisse ea re cognoscimus, quod carmen, quamquam ad celebrandam Xenocratis victoriam pertinet, non ipsi, sed Thrasybulo, filio eius, missum est. Idem comprobatur versibus 35—37, quibus Pindarus in praedicandis Xenocratis virtutibus praeterito tempore usus est, quod facere non debuit, si Xenocrates eo tempore, quo carmen scriptum est, inter vivos fuisset. Carmen Olympicum secundum autem Xenocrate vivente compositum esse versibus, quibus poëta Xenocratis mentionem fecit [1]), perspicitur. Itaque dubitari non potest, quin carmen Isthmicum secundum post carmen Olympicum secundum scriptum sit, neque ullam video causam, cur carminis Isthmici secundi versus 25—27 ad eam, quae carmine Olympico secundo praedicatur, Theronis victoriam spectare non possint. Itaque, cum illis versibus Theronem bis Olympiae victorem renuntiatum esse non comprobetur neque ullo alio loco altera Theronis vic-

victorias statuens Olympicas, nam eadem est, quae hac oda quaeque Isthm. II memoratur.‘

[1]) Cf. Ol. II 48—51:

Ὀλυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτὸς
γέρας ἔδεκτο, Πυθῶνι δ' ὁμόκλαρον ἐς ἀδελφεὸν
Ἰσθμοῖ τε κοιναὶ Χάριτες ἄνθεα τεθριππων δυωδεκαδρόμων
ἄγαγον.

toria commemorata sit, Theronem semel Olympiae vicisse apparet. Idem ea re cognoscimus, quod ipso carmine Olympico secundo et tertio indicatum est tum primum Theroni summum in ludis Olympicis honorem tributum esse; cf. Ol. II 51—52:

. . . . τὸ δὲ τυχεῖν
πειρώμενον ἀγωνίας, ἀφροσυνᾶν παραλύει.

et Ol. III 43:

νῦν δὲ πρὸς ἐσχατιὰν Θήρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων ἅπτεται
οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν.

Nam qui certare conatur, primum hoc certamen suscipit, nisi indicatum est eum iterum vel identidem id suscepisse, neque poëta dicere poterat tum ad extremum virtutis terminum Theronem pervenisse, si iam antea Olympica victoria hunc terminum assecutus erat. Theronem autem eadem Olympiade, qua victoriam reportavit, mortuum esse constat[1]), ita ut alteram reportare non potuerit. Quodsi Thero semel tantum Olympiae victor renuntiatus est, certe dubitari non potest, quin carmen Olympicum secundum et tertium ad eandem victoriam pertineant.

Iam inquirendum esse puto, quo tempore Thero in ludis Olympicis vicerit. Quae in scholiis ad secundum carmen pertinentibus exhibentur, sibi non constant et neglegenter sine dubio congesta sunt. In exordio enim ad inscriptionem carminis septuagesima septima[2]) Olympiade Theronem palmam assecutum esse adnotatur; in iis autem, quae ad versum 166 (= 92) adnotata sunt, Olympiade septuagesima sexta vel septima Theronem

[1]) Rem praeclarissime illustravit Boeckhius l. l. II pg. 205 209.

[2]) Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ] γέγραπται ὁ ἐπινίκιος Θήρωνι Ἀκραγαντίνῳ ἅρματι νικήσαντι τὴν ἑβδομηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα.

vicisse traditur[1]). Sed ea re, quod scholiasta inter Agrigentum conditum et Theronis victoriam centum quattuor annos intercedere dicit, apparet aut eum a se ipso dissentire, cum, si ipsi incertum esse videretur, utrum Thero Olympiade 76 an 77 vicisset, numerum annorum, qui ab Agrigento condito praeteriissent, tam definite addere non deberet, aut — quod mihi magis probatur — illud ϡ οϛ' postea ex iis, quae ad inscriptionem carminis de tempore victoriae dicta erant, additum esse. Denique in explicatione versus 168 (= 93) Olympiade 76 Thero victor renuntiatus esse dicitur[2]). Sed haec quoque non satis considerate conscripta esse ea re apparet, quod scholiasta primum quinquagesima Olympiade Agrigentum urbem conditam esse dicit, postea autem numerum Olympiadum, quae ante urbem conditam praeterierint, quinquaginta esse contendit. Accedit, quod Pindarum numero summatim comprehenso usum esse dicit, cum ipse eundem numerum pro accurata definitione habeat. Qua re dubium non est, quin eius rationi non multum tribuendum sit.

Itaque, cum omnino nihil certi iis, quae in scholiis de tempore victoriae Theronis memorata sunt, efficiatur, aliunde argumenta ad hanc quaestionem diiudicandam sunt petenda. Rem ita instituere in animo habeo, ut primum post Olympiadem 76 Theronem non vicisse ostendam, tum etiam ante eam Olympiadem victoriam

[1]) Ἀκράγας πεντηκοστῇ Ὀλυμπιάδι ἐκτίσθη. ὁ δὲ Θήρων οϛ' ἢ οζ' ἐνίκησε. γίνεται οὖν τὰ μεταξὺ ἀπὸ τῆς κτίσεως ἕως τοῦ Θήρωνος νίκης ϙδ' ἔτη.

[2]) Λέγεται τὴν Ἀκράγαντα πεντηκοστῇ Ὀλυμπιάδι ἐκτίσθαι. ἐκεῖθεν δὲ ἄχρι τῆς Θήρωνος νίκης ἔτη εἶναι ἑκατὸν ἐν Ὀλυμπιάσι κέ. γίνονται δὲ πρὸς ταῖς ν Ὀλυμπιάσι οέ. ἑνίκα οὖν οϛ'. κέχρηται δὲ τῷ ἀπηρτισμένῳ ἀριθμῷ εἰπὼν ρ'.

partam non esse demonstrem. Carminis Olympci II versus 15—16:

τῶν δὲ πεπραγμένων
ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν ἀποίητον οὐδ' ἂν
χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος·

ut postea exponetur, spectant ad inimicitias, quae inter Hieronem et Theronem ob insidias Polyzelo paratas ortae sunt [1]); quae inde facta sunt, accuratius exposuit Diodorus [2]), et testimonio eius scriptoris, quem in enarratione rerum Siciliensium Timaeum secutum esse notum est, ante annum 476 vel eo ipso anno omnia accidisse constat, quae ad illam discordiam pertinent. Vix autem credi potest poëtam eas res commemoraturum fuisse, si carmen Olympiade 77 vel postea scriptum esset. Clarissime autem Theronem post Olympiadem 76 summum in ludis Olympicis honorem assecutum non esse ea re apparet, quod ante primum Olympiadis 77 annum mortuus est [3]). Carmine enim Olympico XII, quod primo Olympiadis 76 anno scriptum esse constat, Himerenses eo tempore tyrannide Thrasydaei, filii Theronis, liberatos, Theronem autem mortuum fuisse cognoscitur [4]).

Restat, ut Theronem ante Olympiadem 76 victorem renuntiatum non esse demonstretur. Cum carminis Olympici II versus 15 et 16, ut postea demonstrabitur, vix explicari possint, nisi ad res anno 475 vel 476 in Sicilia factas referantur, carmen ante primum Olympiadis 76 annum scriptum non esse efficitur. Quae causa si cui non satis firma videtur, omnem dubitationem ea re tolli puto, quod ipse Didymus illos versus ad inimicitias Theronis et Hieronis spectare contendit [1]). Consentaneum est virum tam ingenti doctrina excellentem non ignorasse, quo tempore illae res, quas poëtam significare censet, accidissent, praesertim cum Timaei testimonio nitatur. Dubium igitur non est, quin carmen non ante annum 476 compositum esse persuasum habuerit — num re vera illi versus eo, quo Didymus vult, pertineant, hoc loco nihil refert — et, si carmen Olympicum secundum non ante primum Olympiadis 76 annum scriptum esse constat, victoriam, quae eo carmine celebratur, quattuor annis ante reportatam non esse probabile est. Itaque Theronem Olympiade 76 Olympiae vicisse statuendum est.

Iam indagandum esse puto, utrum Pindarus in Graecia an in Sicilia secundum et tertium carmen Olympicum composuerit, ut postea, cum de carminis tertii versu 34 disputandum erit, firmo fundamento nitamur. Carminis Olympici primi argumento apparet Pindarum, cum illud carmen scriberet, in Sicilia versatum esse [2]). Inde profectus Bergkius etiam carmen Olympicum secundum et tertium in Sicilia compositum esse contendit, cum poëta in carmine tertio carminis primi versum primum respexerit [3]); qua re cognosci hoc carmen prius scriptum esse quam illud, quod Olympiade 76 compositum esse demonstravimus. Sed eodem

1) Versus, quos supra laudavi, ad ea, quae maioribus Theronis acciderunt, referendos non esse postea demonstrabitur.

2) Cf. Diod. XI 48.

3) Cf. Holm Geschichte Siciliens im Alterthum vol. I pg. 427.

4) Rem praeclarissime illustravit Boeckhius l. l. II 2 pg. 205—209.

1) In schol. enim ad Ol. II 29 (= 15) legimus: ὁ δὲ Δίδυμος τὸ ἀκριβέστερον τῆς ἱστορίας ἐκτίθεται μάρτυρα Τίμαιον τὸν συντάξαντα τὰ περὶ τῆς Σικελίας προφερόμενος, — quae verba sequitur rerum Siciliensium expositio, quam hoc loco afferre longum est.

2) Cf. Ol. I 16—17: οἷα παίζομεν φίλαν
ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν.

3) Cf. Ol. I 1. ἄριστον μὲν ὕδωρ et
Ol. III 42. εἰ δ' ἀριστεύει μὲν ὕδωρ . . . . .

iure dicitur in carmine primo Pindaro carminis tertii versum 42 obversatum esse. Immo maxime probabile esse censeo eam sententiam, quam poëta exordio carminis Olympici primi expressit, proverbii vim habuisse et multo antequam Pindarus illa verba scriberet, pervulgatam fuisse. Etiam Jonghius carmen Olympicum primum Olympiade 76 compositum esse contendit et ea re imprimis nititur, quod illud carmen Hieroni Syracusano, non Aetnaeo dedicatum est [1]). Inde colligi posse censet Hieronem victoriam Olympicam, quae illo carmine celebratur, rettulisse, antequam Aetna urbs condita esset. Dubium enim non esse, quin Hiero, si post Aetnam conditam vicisset, Aetnaeum se renuntiari iussurus fuerit. Aetnam autem exeunte primo anno Olympiadis 76 conditam esse constat [2]); itaque secundum rationem illius viri docti carmen Olympicum primum post Olympiadem 76 scriptum esse non potest. Ante eam autem Olympiadem Hiero Syracusanus renuntiari non potuit, quod usque ad tertium Olympiadis 75 annum Gelae princeps, non Syracusarum incola fuit [3]). His causis adductus Jonghius ipsa Olympiade 76 Hieronem vicisse statuit, et si vera essent, unde ille vir doctus profectus est, negari non posset Pindarum Olympiade 76 in Sicilia versatum esse. Sed tota eius argumentatio firmo fundamento mihi videtur carere. Etsi enim negari non potest Hieronem Aetnam conditam non mediocriter iactasse, tamen maxime dubium esse puto, num omnino fieri non potuerit, ut Hiero, cum Aetnam condidisset, Syracusanum se renuntiari iuberet; nam tum non minus Syracusanus erat quam Aetnaeus, etiamsi huic urbi valde favebat. Certe ei,

[1]) Cf. Pindari carmina Olympia ed. de Jongh pg. 257 et 258.
[2]) Cf. Holm l. l I pg. 214.
[3]) Cf. Holm l. l. I pg. 212—213.

qui hoc negat, demonstrandum est Hieronem post Aetnam conditam numquam Syracusanum renuntiatum esse, quod haud facile effici posse puto. Unum tantum ex quattuor carminibus, quae Hieroni dedicata sunt, ‚Hieroni Aetnaeo' inscriptum est, carmen Pythicum primum; sed ei carmini Pindarus laudes Hieronis Aetnae conditoris inseruit, ita ut ipsi argumento carminis prorsus inscriptio respondeat Tertium autem carmen Pythicum, quod post primum Olympiadis 76 annum compositum esse constat [1]), non Hieroni Aetnaeo, sed Hieroni Syracusano dedicavit, qua re, si quid video, apparet ex inscriptione carminis Olympici primi vix causam, cur ante Aetnam conditam scriptum sit, repeti posse, praesertim cum secundum quoque carmen Pythicum, quod ante Olympiadem 76 scriptum esse minime constat, ‚Hieroni Syracusano' inscriptum sit. Itaque nihil valent causae, quibus Bergkius et Jonghius demonstrare studuerunt carmen Olympicum primum Olympiade 76 compositum esse. In scholio autem codicis Vratislaviensis ad inscriptionem huius carminis adscripto clare dictum est Hieronem Olympiade 77 victorem renuntiatum esse [2]). Quae eodem loco in scholiis Vaticanis leguntur Hieronem Olympiade 73 equo vicisse vel, ut nonnulli dicant, curru [3]), cur tam violenter, ut Bergkius fecit [4]), mutanda sint, nullam video

[1]) Cf. Poët. lyr. Graeci rec. Bergk. ed. IV. vol. I pg. 7.
[2]) Ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὴν οζ' νικᾷ κέλητι, τὴν δὲ οή τεθρίππῳ.
[3]) Ἐπιγέγραπται ὁ ἐπινίκιος Ἱέρωνι τῷ Γέλωνος ἀδελφῷ νικήσαντι ἵππῳ κέλητι τὴν ογ' Ὀλυμπιάδα ἢ ὡς ἔνιοι ἅρματι.
[4]) Bergkius ογ' mutat in ος' et post ἔνιοι excidisse contendit τὴν οζ', τὴν δὲ οη', ita ut scholiasta Vaticanus interpretes ambigere dicat, quod mirum non sit, si Hiero duabus continuis Olympiadibus vicerit. Mihi non prorsus a veritate videtur abhorrere illos, qui Hieronem Olympiade 73 curru vicisse putant, Gelonis victoriam, quae ea Olympiade parta erat, cum Hieronis victoria confudisse.

causam. Vetus autem interpres, qui Hieronem Syracusanum et Aetnaeum renuntiatum esse ibidem dixit [1]), sine dubio victoriam post Aetnam conditam reportatam esse persuasum habebat. Graviora autem ad tempus victoriae definiendum sunt, quae ad versum 33 (= 21) in scholiis adnotata inveniuntur. Ibi narratur nonnullos grammaticos verba *Συρακόσιον ἱπποχάρμαν βασιλέα* mutavisse in *Συρακοσίων ἱπποχαρμᾶν βασιλέα* [2]), cum Hieronem, antequam eam, quae carmine Olympico primo celebratur, victoriam rettulisset, Aetnam condidisse et ob eam causam non Syracusanum, sed Aetnaeum appellandum fuisse censerent. Certe igitur carmen post Aetnam conditam scriptum esse arbitrati sunt. Didymus autem Hieronem non Aetnaeum, sed Syracusanum fuisse dicit [3]), sive Syracusarum regem etiam post Aetnam conditam Syracusanum, non Aetnaeum appellandum esse putavit, sive carmen, antequam Aetna conderetur, compositum esse statuebat. Licet postremum probabilius sit, tamen auctoritatem veterum illorum grammaticorum, quos ante Didymum ea in re versatos esse apparet, non minoris aestimandam esse censeo quam Didymi, et cum etiam Aristonicus [4]) carmen post Aetnam conditam scriptum esse persuasum habeat, mihi dubium non videtur, quin

[1]) Νικήσας δὲ τὰ Ὀλύμπια ἀνεκήρυξεν ἑαυτὸν Συρακούσιον καὶ Αἰτναῖον.

[2]) Ἔνιοι δέ ἀναγιγνώσκουσι παροξύνοντες τὴν παραλήγουσαν συλλαβὴν τῶν Συρακουσίων καὶ τὴν ἐσχάτην τοῦ ἱπποχάρμαν περισπῶσιν, ἵν' ᾖ, τῶν Συρακουσίων ἱπποχαρμῶν, τὸν γὰρ Ἱέρωνα οὐκ εἶναι Συρακούσιον ὅτε ἐνίκα. κτίσαντα γὰρ αὐτὸν τὴν Κατάνην καὶ προσαγορεύσαντα Αἴτναν ἀπ' αὐτῆς Αἰτναῖον λέγουσιν αὐτόν.

[3]) εὐήθεις φησὶ Δίδυμος τούτους. τότε γὰρ ὁ Ἱέρων ἦν Συρακούσιος οὐδὲ ἦν Αἰτναῖος, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος

[4]) **Verba modo allata sequitur:** Ὁ δὲ Ἀριστόνικος ἀξιοπίστως Αἰτναῖον ὄντα Συρακόσιον ὀνομάζεσθαι.

Hiero Olympiade 77 Olympiae victor renuntiatus sit et carmen Olympicum primum ad eam victoriam spectet. Quodsi carmen Olympicum primum non ante Olympiadem 77 scriptum est, Pindarum primo anno Olympiadis 76 in Sicilia fuisse nullo modo probari potest. Immo eo anno in Graecia cum versatum esse ex carmine Olympico XIV apparet. Namque hoc carmen non ita multo post victoriam Asopichi a poëta in Graecia conscriptum esse facile argumento eius cognoscitur. Asopichum autem Olympiade 76 vicisse omnibus, quas scholiastae ad inscriptionem carminis adiecerunt, adnotationibus traditur [1]). Dubitari igitur non potest, quin Pindarus in Graecia versatus sit, cum Thero Olympiade 76 in ludis Olympicis vinceret, itaque eum carmen Olympicum secundum et tertium, quae ad illam Theronis victoriam spectare comprobatum est, non in Sicilia, sed in Graecia composuisse optimo iure statuitur.

Iam eo procedere possum, ut indagare studeam, utrum carmen prius sit compositum, cum ambo simul scripta esse prorsus credi nequeat. Ea re, quod carminis tertii argumentum multo simplicius est quam secundi, quod poëtam in componendo carmine secundo multo maiorem operam consumpsisse apparet quam in tertio, suspicari licet hoc haud ita multo post victoriam Theroni dedicatum, postea autem magnificentissimum illud carmen conscriptum esse. Hanc sententiam esse veram ex ipsis poëtae verbis, modo diligenter examinentur, cognoscitur. In carminis tertii versu 43 Pindarus Theronem iam (*νῦν*) virtutibus ad summum fastigium ascendentem Herculis columnas attingere dicit. His verbis mihi quidem indicari videtur poëtam hoc carmen statim, postquam Thero victor re-

[1]) Cf. Boeckh. l. l. II 1 pg. 292.

nuntiatus est, condidisse. In carminis secundi autem versibus 49 et 50 praeterito tempore poëta victoriae Xenocratis, quae Olympiade 71 parta erat, mentionem facit neque alio tempore in commemoranda Theronis victoria utitur, qua re, si quid video, apparet aliquanto temporis postquam Thero summum in ludis Olympicis honorem assecutus erat, carmen esse compositum. Clarius autem poëtam carmen tertium ante secundum scripsisse illius carminis versu 37 apparet [1]), quem haud facile explicari posse persuasum habeo, nisi Pindarum, cum carmen componeret, Olympiae ipsis ludis interfuisse statuamus. Sed accuratius et copiosius de hoc versu disputandum est, cum summa fere totius commentationis illo versu explicando contineatur. Primum quaeritur, quae sollemnia Pindarus verbis *ἐς ταύταν ἑορτὰν* significare voluerit, et diiudicandum est, utrum illa verba ad sollemnia Agrigenti acta an ad ludos Olympicos referenda sint. Scholiastae quidem et veteres et recentiores, qui vocantur, illum versum ad sollemnia in theoxeniis instituta spectare contendunt [2]). Boeckhius [3]) *ταύταν ἑορτὰν* Olympicum quidem festum esse posse concedit, sed rectius ita hunc locum explicari contendit, ut illa sollemnia Dioscuris Agrigenti acta esse statuatur. Nititur ille praecipue ea re, quod poëta Herculem cum Dioscuris, non Dioscuros cum Hercule ad sollemnia venientem facit; sic enim Pin-

[1]) Cf. Ol. III 34: Καί νυν ἐς ταύταν ἑορτὰν ἵλαος ἀντιθέοισιν νίσεται σὺν βαθυζώνου διδύμνοις παισὶ Λήδας.

[2]) Cf. schol. vetus ad Ol. III 61 (=34). Καί νυν ἐς ταύταν ἑορτὰν] τὴν τοῦ νικηφόρου πανήγυριν καὶ εὐωχίαν. εἰώθεισαν γὰρ εὐωχεῖσθαι. τὴν εὐωχίαν γὰρ ἑορτὴν εἶπε. φησὶ γὰρ ἔρχεσθαι εἰς τὴν τοῦ Θήρωνος ἑστίαν τόν τε Ἡρακλῆν καὶ τοὺς Διοσκούρους, εἰς τὰ θεοξένια, ἐπεὶ ἐξένιζεν αὐτοὺς ὁ Θήρων. Pariter recentiora.

[3]) Cf. Boeckh. l. l. II 2 pg. 135.

darum verba inter se coniuncturum fuisse arbitratur, si diem festum, qui Olympiae celebrandus erat, significare voluisset, cum Hercules ludos Olympicos instituerit et ornaverit. Mea quidem sententia hoc loco tam acute distinguendum non est, neque tantum refert, utrum poëta Herculem cum Dioscuris an Dioscuros cum Hercule ad diem festum advenire dicat. Sed concedamus Boekhio ita discernendum esse, ut is, qui officio non teneatur, cum iis veniat, quos ad sollemnia, de quibus agitur, proficisci oportet, nihilominus verba ad ludos Olympicos pertinere contendo. Dioscuros ab Hercule ludorum praesides institutos et universam sollemnium administrationem eorum curae commissam esse ipsius poëtae verbis edocemur [1]). Hos igitur ex Hyperboreis Olympiam revertens eius rei causa secum ducit. Itaque nihil valent, quae Boekhius ad firmandam suam sententiam protulit. Legibus autem grammaticis verba ad sollemnia Agrigentina referre prohibemur. Pronomine *ταύταν* poëta uti non debuit, nisi aut versibus, qui proxime antecedunt, sollemnium, quae significare vult, mentionem fecit aut ipse iis interfuit. At sollemnia Agrigenti agenda per totum carmen uno tantum verbo *ἀγλαόκωμος* versus 6 commemorata sunt; eo autem pronomen *ταύταν* pertinere non posse magno versuum, qui intercedunt, numero apparet; Pindarum autem ipsum sollemnibus a Therone Agrigenti institutis interfuisse statui non potest, quod — si quidem vera sunt, quae antea exposui — dubium non est, quin post primum Olympiadis 76 annum in Siciliam profectus sit. Praeterea verba re vera non ad comissationem Agrigenti agendam, sed ad ludos Olympicos referenda esse certissime comprobatur versu

[1]) Cf. Ol. III 36: τοῖς γὰρ ἐπέτραπεν Οὐλυμπόνδ' ἰὼν θαητὸν ἀγῶνα νέμειν . . . .

36. Postquam Pindarus Herculem cum Dioscuris ad sollemnia venire narravit, statim, ut causam eius rei exponat, ludorum Olympicorum administrationem filiis Ledae ab Hercule traditam esse dicit. Itaque solvitur sententiarum nexus versus 36 *γὰρ* particula indicatus, nisi verba, de quibus agitur, ad ludos Olympicos spectant. Nam quod Dioscuris ab Alcmenae filio ludorum cura commissa est, re vera causa esse potest, cur cum illis ad ipsos ludos veniat, sed minime, cur cum iis ad aliud quodlibet sollemne se conferat. An putamus iam Herculis esse omnibus sollemnibus, quae in Dioscurorum honorem agebantur, interesse? Cum igitur verba *ἐς ταύταν ἑορτάν* ad ludos Olympicos spectare appareat, poëtam aut versibus, qui proxime antecedunt, ludorum Olympicorum mentionem fecisse aut ipsum, cum carmen componeret, ludis interfuisse statuendum est. Ipsos autem ludos Olympicos poëta inde a versu 15 nullo verbo tetigit; versu 33 quidem Herculem arbores ab Hyperboreis acceptas in stadium Olympicum transtulisse narrat, sed ipsi ludi ne obiter quidem commemorantur, ita ut pronomen *ταύταν* ad eum versum haud facile referas. Itaque alteram explicationem, qua Pindarum ipsum, cum carmen scriberet, Olympiae ludis interfuisse statuitur, praeferendam esse apparet.

Idem etiam certius ex iis versibus colligi potest, quibus Pindarus coronis crinibus insertis officium a deo constitutum a se flagitari dicit [1]). Nam poëtam ipsum coronas vidisse necesse est, ita ut eorum aspectu officii admonitus sit. Scholiastae quidem verba ad sollemnia Agrigenti acta spectare censent. Sed hoc —

[1]) Cf. carm. Ol. III 6—7.

. . . ἐπεὶ χαίταισι μὲν ζευχθέντες ἔπι στέφανοι
πράσσοντί με τοῦτο θεόδμητον χρέος.

si vera sunt, quae supra dixi — probari non potest, cum Pindarus carmen non Agrigenti, sed in Graecia conscripserit. Itaque, cum dubitari non possit, quin Pindarus carmen Olympicum tertium Olympiae inter ipsos ludos composuerit, optimo iure statuitur carmen secundum post carmen tertium esse conscriptum, cum credi non possit poëtam paucis diebus duo carmina ad eandem victoriam praedicandam composuisse. Eximia quoque arte compositionis, qua carmen Olympicum secundum excellit, brevissimo tempore illud carmen scriptum non esse cognoscimus.

Quoniam de victoria, quae celebratur, et de temporis discrimine, quod inter duo haec carmina intercedit, dixi, iam, quo consilio utrumque carmen a Pindaro conscriptum sit, accuratius exponam atque de eo, quod prius compositum est, primum disputandum esse arbitror. Quae in scholiis de hac re exposita sunt inter se pugnare recte contendit Deneken [1]). Nam cum nonnullis locis affirmetur Theronem theoxenia, quae Agrigenti in Dioscurorum honorem institui solebant [2]), celebrantem nuntium accepisse [3]) et ob eam causam a Dioscurorum laude poëtam huius carminis initium fecisse, alio loco theoxeniorum tempore Theronem ipsam victoriam reportasse exhibetur [4]). Quaeritur, num

[1]) Cf. Deneken de theoxeniis pg. 11.

[2]) Cf. Ol. III 39—40.
εὐΐππων διδόντων Τυνδαριδᾶν, ὅτι πλείσταισι βροτῶν
ξεινίαις αὐτοὺς ἐποίχονται τραπέζαις.

[3]) Cf. schol. ad inscriptionem Ol. III. θύοντος οὖν τοῦ Θήρωνος εἰς τὰ Θεοξένια ἐν τοσούτῳ ἠγγέλθη . . . ἡ νίκη. Ibidem: ἄγοντος δὲ Θήρωνος τὴν ἑορτὴν τῶν Διοσκούρων καὶ Ἑλένης ἠγγέλθη ἡ νίκη. διὸ ἀπ' αὐτῶν ἄρχεται.

[4]) Ibidem: οἱ δέ φασι Θεοξενίων ὄντων καὶ κεκλημένων τῶν Διοσκούρων εἰς τὰ Θεοξένια τὸν Θήρωνα νικῆσαι, ᾧ συγχρησάμενον τὸν Πίνδαρον εὔχεσθαι τοῖς Διοσκούροις. Eodem refertur

probari possit ea sententia, quae non ab omnibus quidem, sed a maiore parte veterum interpretum, quorum explicationes in scholiis servatae sunt, prolata est. Omnino ex ipsis scholiastarum verbis intellegi potest mirum iis visum esse, quod poëta in primis carminis versibus ad Tyndarei filios se converteret iisque se gratum facere velle profiteretur [1]). Difficultatem, quae in primis carminis verbis inesse videbatur, illa narratione, quam supra commemoravi, tollendam esse putaverunt. Sed horum interpretum rationem improbavit Aristarchus, veterum grammaticorum sagacissimus, quem ex iisdem scholiis de ea re non idem iudicasse apparet, quod illi, de quibus dixi, grammatici opinati sunt. Multo simpliciore modo ille difficultatem — si difficultas dici potest — expedivit contendens propter honorem Agrigenti Dioscuris tributum poëtam in epinicio a Dioscurorum laude profectum esse [2]). Aristarcho igitur illa scholiorum explicatio aut nota non erat, aut, si eam non ignorabat, falsam esse persuasum habebat. Quodsi eam non noverat, recentioris temporis et vix fide digna est. Neque enim posteriores facile scire poterant, quae Aristarchus nesciret. Sin autem hic ea, quae in scholiis exhibentur, non ignorabat, sed falsa esse arbitratus aliam explicationem proposuit, auctoritati eius magis confidendum est, quam illis, qui ante eum difficultatem invento ad rem composito tollere studuerunt. Didymo ea, quae in scholiis de consilio Pindari carmen Olympicum tertium conscribentis traduntur, non ignota fuisse veri simile est, cum ille vir doctus magis cum Aristarcho consentire dicatur quam cum reliquorum interpretum ratione [1]). Sed non solum probavit Aristarchi sententiam Didymus, sed etiam proprio argumento fulcivit eam, cum originem Emmenidarum gentis secutus Theronis maiores Argis, qua in urbe Dioscuris magnos honores tributos esse constat, sedem habuisse et ob eam causam Dioscuros tanto studio a Therone cultos esse dixerit [2]).

Itaque Aristarchi et Didymi iudicio ea credere prohibemur, quae de victoria theoxeniorum tempore reportata vel de nuntio victoriae Theroni theoxenia celebranti allato traduntur. Sed aliae quoque causae, quibus eam opinionem reiiciendam esse appareat, afferri possunt. Si enim quaerimus, quo tempore theoxenia acta sint, nihil certi a scriptoribus memoriae proditum esse negari non potest. Sane si recte Preller suspicatus esset ubique eodem anni tempore Apollinis et Dioscurorum theoxenia celebrata esse et aptam quandam inter utraque necessitudinem intercessisse [3]), secundum

schol. ad Ol. III 7 (= 4). οὕτω γὰρ ἡ Μοῦσα ἐπῆλθέ μοι, τὸ εἰς Θεοξένια γράψαι.

1) In scholiis ad inscriptionem Ol. III legitur: ζητεῖται τί δήποτε ὁ Πίνδαρος Ὀλυμπιακὸν ὕμνον γράφων εὔχεται τοῖς Διοσκούροις προσηνεῖς τῇ ᾠδῇ γενέσθαι. ἐχρῆν γὰρ ἄρα Ἡρακλέα τὸν διαθέντα τὸν ἀγῶνα κατακαλεῖσθαι; in schol. ad v. 1: διὰ τί τούτοις εὔχεται ἀρέσαι; διὰ τὸ εἰς Θεοξένια γράφειν.

2) Legitur in scholiis ad inscriptionem Ol. III: Ὁ δὲ Ἀρίσταρχός φησι παρὰ τοῖς Ἀκραγαντίνοις διὰ τιμῆς εἶναι τοὺς Διοσκούρους καὶ πατρίῳ ἔθει καὶ νῦν αὐτοὺς χρῆσθαι . . . .

Ἀρίσταρχος μὲν οὖν τὴν ἀπορίαν διαλύων τοὺς θεοὺς τούτους σφόδρα ἐν Ἀκράγαντί φησι τιμᾶσθαι.

1) Cf. scholion ad inscriptionem Ol. III. τῇ Ἀριστάρχειῳ ἀποδόσει ὁ Δίδυμος μᾶλλον προστίθεται . . . .

2) Ibidem: Ὁ δὲ Δίδυμος ἱστορικώτερον λέγει καί φησι διὰ τὸν Θήρωνα ἄνωθεν Ἀργεῖον εἶναι. τιμῶνται δὲ κατὰ τὸ Ἄργος καὶ τὴν Πελοπόννησον οἱ Διόσκουροι.

3) Cf. Preller Griechische Mythologie vol. II pg. 100: „Also derselbe Glaube, dieselben Gebräuche und höchst wahrscheinlich auch dieselbe Jahreszeit wie bei den Theophanieen und Theoxenien des Apollo (1. 204), da dieser Gott und die Dioscuren ohne-

Delphica Apollinis theoxenia de Agrigentinis Dioscurorum videri posset coniectura fieri, quo anni tempore acta essent. Namque illa patet Theoxenio mense celebrata esse, quem apud Delphos eundem fuisse atque Elaphebolionem Atticum nunc ex titulis Delphicis certo exploratum est [1]). Itaque, si in idem tempus Agrigentina Dioscurorum theoxenia inciderent, quattuor fere mensibus ante ludos Olympicos acta essent, quos primo plenilunio post solstitium aestivum non multum distantes ab initio anni Attici editos esse constat. Qua re efficeretur, ut Theronis victoria neque reportari potuisset Agrigentinorum theoxeniorum tempore neque nuntiari, quoniam de theoxeniis ludos insequentibus ideo cogitari nequit, quod Pindarus statim post curruum certamen in ipsa Olympia tertium Olympicum carmen in Theronis honorem scripsit. Sed illa Prelleri opinio nullo documento nisi ipsius coniectura nititur [2]). Et ne tum quidem, si vera esset, satis confidenter ita liceret concludere. Nam ne Apollinis quidem theoxenia in omnibus civitatibus eodem anni tempore fuisse inde compertum habemus, quod Pellenae, in Achaiae urbe, tale festum illi simul et Mercurio hieme actum esse

---

hin gewiss gegenseitig bei solchen Festen betheiligt waren, namentlich die Dioscuren bei den Theoxenien zu Delphi, wo sie neben Apollo auch sonst ausgezeichnet werden."

1) Cf. Kirchhoff. Monatsberichte der Berliner Academie 1864 pg. 129—135. Aug. Mommsen Delphica pg. 119 sqq.

2) Neque in Denekeni commentatione, qui diligenter et copiose adhibitis scriptorum testimoniis, inscriptionibus artisque monumentis de omnibus theoxeniis exposuit, quidquam invenitur, quod Prelleri suspicioni subsidio sit, neque in iis, quae Mommsenus l. l. pg. 299 sqq. de Delphicis theoxeniis disputat, si omittimus, quae nullo testimonio adiutus pg. 307 suspicatur.

traditum accepimus [1]). Accedit, quod Dioscurorum theoxenia etiam cum ludis Olympicis videntur coniuncta fuisse [2]) et, si ex festorum similitudine aliquam licet de pari eorum tempore coniecturam facere, magis in promptu est credere Agrigentina et Olympica theoxenia eodem tempore fuisse, quae eorundem deorum erant, quam Agrigentina et Delphica, quae diversorum erant. Sed ne hoc quidem contendere licet, quia pariter atque Apollinis theoxenia etiam Dioscurorum in aliis civitatibus alio tempore possunt celebrata esse. Augustus quidem Mommsenus miro quodam modo nuntium victoriae per ipsos Dioscuros Agrigentum allatum esse censet [3]); theoxenia autem Agrigentina post ortum heliaceum, qui dicitur, Pollucis acta esse persuasum

---

1) Cf. schol. ad. Ol. IX 146 (= 97) ὁ δὲ ἀγὼν ἐν Πελλήνῃ Ἑρμαια καλεῖται, ἄγεται δὲ Ἑρμοῦ καὶ Ἀπόλλωνος ἑορτὴ, θεοξένια λεγομένη . . . ἐν Πελλήνῃ χλαῖνα ἐδίδοτο τῷ νικῶντι χειμῶνος ὥρᾳ . . . ἦγετο δὲ ὁ ἀγὼν ἐν Πελλήνῃ τῆς Ἀχαΐας τὰ θεοξένια ἐν χειμῶνι, διὸ καὶ χλανὶς ἐδίδοτο. Hoc testimonio etiam ea refelluntur, quae Mommsenus l. l. pg. 307 de theoxeniis omnino vere celebratis suspicatur.

2) Cf. schol. ad inscriptionem Ol. III. εἰς Θεοξένια. Οἱ Διόσκουροι κατὰ ἐντολὴν Ἡρακλέος διατεθειμένοι τὸν Ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα, ὡς ἐνομοτέθησεν ὁ Ἡρακλῆς. τούτοις γὰρ εἰς θεοὺς ἀναχωρῶν Ἡρακλῆς τὴν τῶν Ὀλυμπιακῶν ἀγώνων φροντίδα καὶ ἐπιμέλειαν ἐνεχείρισεν, οὗτοι δὲ ἀφ' ἑαυτῶν ἐπενόησαν πανήγυριν Θεοξένια, παρὰ τὸ δοκεῖν τότε ξενίζειν τοὺς θεούς. Postrema verba vix aliter intellegi possunt quam ita, ut Dioscuri dicantur, cum iis ludorum Olympicorum cura ab Hercule mandata esset, sua sponte illis addidisse theoxeniorum festum inde denominatum, quod, cum illud instituerent, epulis deos excipere viderentur; reliquos igitur deos ad epulas invitaverunt, qua de re cf. schol. ad Nem. VII 68 (= 46). γίνεται ἐν Δελφοῖς ἥρωσι ξένια, ἐν οἷς δοκεῖ ὁ θεὸς ἐπὶ ξένια καλεῖν τοὺς ἥρωας et Deneken de theoxeniis pg. 3 et 13.

3) In philologi vol. XI. pg. 708.

habet, quod Dioscuros in coelo conspicuos esse oporteat, cum epulae in eorum honorem struantur. Secundum rationem Hartwigii, viri coeli siderumque cognitione excellentis, Pollux ab anno 480—370 ante Christum natum ortus est tempore solstitii, quod dicitur, aestivi. Itaque Mommsenus theoxenia saeculo quinto eodem fere tempore acta esse arbitratus quo ludos Olympicos divina quadam vi Theronem in theoxeniis Dioscuris sacrificantem ipso die, quo victoriam reportaverit, nuntium accepisse contendit. Attamen ratio, qua Mommsenus ad eam opinionem adductus est, parum firma videtur esse, quam cui confidendum sit. Nam ita tantum valeret, si Dioscurorum numen totum in luminibus coelestibus esset neque ultra eorum vis atque potestas cerneretur. Et licet illa admittatur, tamen non sequitur ipso tempore solstitiali theoxenia Agrigenti fuisse; poterant etiam posteriore anni tempore agi, dum Castoris et Pollucis sidera conspicua erant. Sed concedamus theoxenia eo tempore, quo Mommsenus statuit, acta esse, tamen ad nuntium victoriae festo illo allatum Pindarum respicere probari non potest. Nam miro quodam modo praeter naturam Theronem nuntium accepisse vix quisquam crediderit. Fieri igitur non poterat, ut in theoxeniis nuntius Agrigentum perveniret. Sed etiamsi fama nuntium victoriae per ipsos Dioscuros Agrigentum allatum esse — saepius enim fama Dioscuros ipsos nuntiorum munere functos esse percrebruit [1]) atque eo facilius oriri poterat, quod Agrigentini sine dubio non ignorabant, quibus diebus ludi Olympici agerentur — inter urbis incolas pervulgata esset, Pindarus, cum carmen scriberet, eius rei rationem habere non poterat. Nam quod poëta hoc carmen Olympiae statim post quadrigarum certamen composuit, illam

[1]) Cf. Philol. XI pg. 706. Preller l. l. vol. II pg. 99.

famam novisse non poterat, nisi forte eum quoque mirum in modum per Dioscuros de nuntio in theoxeniis allato certiorem factum esse vel famam illius famae, ut ita dicam, iisdem diebus, quibus orta erat, Olympiae pervulgatam esse putamus. Quae cum ita sint, quando Agrigenti celebrari solita sint theoxenia, in dubio videtur relinquendum esse. Neque illis interpretibus, qui Theronis victoriam eorum tempore impetratam vel nuntiatam esse putabant, notum videtur fuisse ea in ludorum Olympicorum tempus incidisse. Ita enim si fuisset, utique curru vicisset, cum illud festum Agrigenti ageretur, Thero, non vicisse nuntiatus esset, neque iis, qui illud compertum haberent, hac de re facile dissensus oriri potuisset. Cum autem prorsus credi non possit Pindarum, cum Olympiae statim post Theronis victoriam carmen in eius honorem pangeret, de nuntio victoriae Agrigentum perlato quidquam cognitum habuisse, pro certo quidem negari nequit Theronem theoxeniorum Agrigentinorum tempore curru vicisse — nam eodem haec tempore fuisse quo certamen non magis negari quam contendi potest —; procul tamen habenda est ea opinio, nisi ex ipso carmine commendetur. Nam nullam rerum notitiam subesse huic interpretum suspicioni et ex iis, quae dixi, apparet et ex Didymi verbis intellegitur, qui *ἱστορικώτερον* esse dicit, quod ipse Aristarchum secutus probat [1]). Sed in ipso carmine ne levissimum quidem est indicium aut adeptam aut nuntiatam esse victoriam, dum

[1]) Quamquam ante hoc Didymi dictum in scholiis solus victoriae nuntius memoratus est Theroni theoxenia celebranti allatus, tamen etiam ad alteram cum hac coniunctam opinionem id spectare ipsa rerum cohaerentia satis manifestum est, praesertim cum etiam post memoratam alteram opinionem Didymum Aristarcho magis adstipulatum esse adiungatur.

Agrigenti Dioscurorum lectisternia fierent. Nam versu 39 et 40:

. . . . *εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν ὅτι πλείσταισι βροτῶν*
ξεινίαις αὐτοὺς ἐποίχονται τραπέζαις

nihil continetur nisi clarissimae victoriae gloriam Emmenidis et Theroni ideo contigisse, quod plurimis epulis Tyndaridas prosequantur, et *φιλοξείνοις* epitheton in carminis exordio Tyndaridis tributum ad Dioscuros hospitibus patrocinantes [1]) procul dubio refertur. Si vero quaerimus, quomodo grammaticorum illorum commenta exorta sint, facile perspicitur illos, cum necessitudinem quandam indagare studerent, quae intercederet Dioscurorum laudi carmini insigniter praepositae et theoxeniorum mentioni in versibus 39 et 40 factae cum ipsa, quae praedicaretur, Theronis victoria, suas de ea re coniecturas tamquam res compertas proposuisse. Itaque restat, cui assentiamur, Aristarchi sententia a Didymo comprobata, Dioscuros in carminis initio cum laude appellatos esse propter eximium honorem iis ab Agrigentinis et, quod ex versibus 39 et 40 addi potest, praecipue a Therone ipso habitum. Neque hoc in ea re nullius momenti videtur fuisse, quod etiam Olympiae Dioscuri in magno honore et veneratione erant et praecipui eorum cultus communio quaedam erat inter victoris patriam et victoriae locum. Praeterea Tyndaridarum potissimum gratiae, qui ludis Olympicis quodam modo praeerant, in versibus 39 et 40 Theronis victoria tribuitur. Cum opinione autem modo refutata falsum etiam esse demonstratum est *εἰς Θεοξένια* carmini sine dubio ex ipsis scholiis praescriptum.

Postquam ea, quae veteres interpretes de carmine

1) Cf. Preller Griechische Mythologie II pg. 103 sq.

Olympico tertio existimaverunt, satis examinata sunt, iam ea, quae viri docti nostrae aetatis ea in re iudicaverunt, exponenda esse arbitror. Boeckhius falsa quidem esse putat, quae in scholiis de nuntio victoriae in theoxeniis allato exhibentur; sed tamen aliquid veri ei fabulae subesse arbitratus carmen eo consilio a Pindaro conscriptum esse censet, ut in theoxeniis ad celebrandam Theronis victoriam cantaretur. Sed de nuntio illo iis, qui haec opinati sunt, nihil traditum fuisse iam monuimus. Verbis ipsis, quibus haec opinio significatur, cognosci potest nonnullos grammaticos, ut iam dixi, miratos esse, quod Pindarus primis carminis versibus se Dioscurorum et Helenae gratiam assequi velle dixerit. Causam, cur poëta tali modo orsus esset, quaerentes verbo *φιλόξεινος* et versibus 40—41 adducti sunt, ut illam fabulam excogitarent. Sed neque adiectivo *φιλόξεινος* neque versibus, quos laudavi, carmen ad theoxenia pertinere comprobatur, neque in toto carmine quidquam inveniri, quo ea, quae Boeckhius coniecit, nitantur, iis, quae antea exposita sunt, apparet. Boeckhii sententia igitur neque scholiis neque ipso carminis argumento nititur. Gravibus autem causis eam probari non posse apparet. Quomodo enim Pindarus, cum Olympiae carmen scriberet, scire poterat in theoxeniis carmen recitandum esse? Theronem ipsum Olympiae ludis non interfuisse optimo iure statui potest, cum condicio rei publicae Agrigentinae talis esset, ut prudentem et cautum principem eo tempore regnum paullo ante in summum discrimen vocatum reliquisse prorsus a veritate abhorreat. Poterat sane per legatos suos, qui Olympiae aderant Pindaro rem indicare; sed ita necesse esset eum de victoria in theoxeniis celebranda decrevisse, antequam eam adeptus esset. Sed hoc mirum esse unus quisque sentiet. Postea autem Pindarum de ea re certiorem factum esse

ob eam causam statui non potest, quod carmen Olympiae ludis nondum peractis conscriptum esse cognovimus. Pindaro igitur, quo die Thero victoriam celebraturus esset, vix notum esse poterat, itaque carmen, quod ad victoriam praedicandam pertinere mihi non minus quam Boeckhio persuasum est, eo consilio a poëta compositum esse nequit, ut in theoxeniis recitaretur.

Iam ea, quae Schmidtius de carmine Olympico tertio iudicavit, consideranda sunt. Carmen non eo consilio a poëta conscriptum esse arbitratus, ut publice recitaretur, Pindarum quasi epistula in poëmatis formam redacta Theronem certiorem facere contendit se brevi post proprio carmine splendidam eius victoriam praedicaturum esse[1]). Ad quam sententiam ea re adductus est, quod persuasum habet carmen Olympicum tertium a Pindaro Olympiae inter ipsos ludos scriptum et legatis Theronis, cum in patriam redirent, traditum esse, ut ad dominum deferrent. Sed quomodo inde colligi possit hoc carmen ipsum non ad praedicandam Theronis victoriam spectare, equidem intellegere non possum. Praecipue autem nititur Schmidtius versibus 6—9:

ἐπεὶ χαίταισι μὲν ζευχθέντες ἔπι στέφανοι
πράσσοντί με τοῦτο θεόδμητον χρέος
φόρμιγγά τε ποικιλόγαρυν καὶ βοὰν αὐλῶν ἐπέων τε θέσιν
Αἰνησιδάμου παιδὶ συμμίξαι πρεπόντως, ἅ τε Πίσα με γεγωνεῖν,

quibus poëta coronis crinibus innexis officium a deo constitutum a se exigi dicit. Iis autem verbis Schmidtius indicari putat Pindarum, antequam ludi Olympici, quibus Thero victor renuntiatus est, adessent, Agrigentinorum regi promisisse se virtutes eius carmine praedicaturum esse[1]). Cum aliquantum temporis promissum exsequendum distulisset, victoria Theronis officii admonitum eum carmen Olympicum tertium composuisse, ut fidem regi amico datam observaret. Mihi ea, quae Schmidtius proposuit, prorsus videntur improbanda esse. Namque versum 6 ita explicari non posse, ut ad promissum Theroni a Pindaro datum referatur, ipsa verbi *θεόδμητος* notio ostendit. Illud enim verbum, si vim et originem eius spectamus, nihil aliud significat nisi quod a deo constitutum est[2]); officium autem a deo constitutum sive compositum non potest idem esse atque officium ab ipso poëta susceptum. Schmidtius quidem sententiam suam ita firmare studet, ut Pindarum diis invocatis quasi iureiurando se obstrinxisse dicat. Sed licet hoc factum sit, — quamquam parum probabile est amicum amico tam sancte carmen promisisse — poëta re vera officio carminis componendi tenebatur, sed officium non a deo constitutum, sed ab ipso poëta susceptum et deorum religione sanctum est. Aliter igitur verba explicanda sunt, et facile patet omnino poëtarum officium esse eos, qui in ludis publicis vicerunt, carminibus praedicare. Namque ea condicione poëticum ingenium a

1) Cf. Schmidt l. l. pg. 213.

1) Cf. Schmidt l. l. pg. 215.

2) Cf. Hom. Il. VII v. 519. πύργοι θεόδμητοι turres a diis structae. Pariter Pind. Pyth. IX 10. . . . θεοδμήτων ὀχέων ἐφαπτομένα (sc. Ἀφροδίτα); Pind. Ol. VI v. 59. Δάλου θεοδμήτας, quod scholiasta recte explicavit: τῆς ὑπὸ θεῶν κατασκευασθείσης. ὄφαλον γὰρ οὖσαν Ζεὺς ἀνῆκεν εἰς φῶς; Pind. Isthm. V v. 11: θεοδμήτους ἀρετὰς . . ., quem locum scholiasta recte explicavit: θεοδμήτους ὅ ἐστιν ὑπὸ θεῶν δεδομημένας καὶ κατεσκευασμένας; Pind. Pyth. I v. 61. τῷ πόλιν κείναν θεοδμήτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ Ὑλλίδος στάθμας Ἱέρων ἔκτισσ', quo loco scholiasta θεοδμήτῳ verbo θείᾳ explicat, cum id, quod a deo factum vel constitutum sit, iure divinum dicatur.

Musis acceperunt, ut iis, qui in ludis in deorum honorem institutis victores renuntiati sint, meritas laudes tribuant; ideo hoc officium iure a deo constitutum dicitur. Verba ita explicanda esse verbis paulo post sequentibus *θεόμοροι ἀοιδαὶ* cognoscitur, quibus carmina ipsa a deo impertita dicuntur. Itaque prorsus reiicienda sunt, quae Schmidtius de carmine Theroni promisso coniecit. Ipso autem argumento docemur hoc carmen non minus quam secundum ad praedicandam Theronis victoriam pertinere. Versus 1—6:

Τυνδαρίδαις τε φιλοξείνοις ἀδεῖν καλλιπλοκάμῳ
Θ' Ἑλένᾳ
κλεινὰν Ἀκράγαντα γεραίρων εὔχομαι,
Θήρωνος Ὀλυμπιονίκαν ὕμνον ὀρθώσαις, ἀκαμαντοπόδων
ἵππων ἄωτον. Μοῦσα δ' οὕτω ποι παρέστα μοι[1])
νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον
Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ
ἀγλαόκωμον,

quibus poëta clare professus est se carmine ad celebrandam victoriam composito Dioscurorum gratiam assequi velle, ad carmen secundum spectare nullo modo probari potest. Si enim poëta hos versus ad carmen secundum referri voluisset, clarius hoc indicare debuit, cum eius verbis, qualia nobis tradita sunt, cognosci

[1]) Recte T. Mommsenus in annot. crit. suppl. pg. 39 contendit depravatum esse, quod in codicibus legitur: οὕτω ποι (τοι D O P Q, που C) παρέστα μοι. Nam postquam poëta se cupere dixit idoneum hymnum constituere, non potest adiungere Musam sibi iam novum ac splendidum carmen suppeditasse; immo, ut sibi suppeditet, Musam eum implorare oportet. Sensus aptus efficitur eo, quod Mommsenus coniecit οὕτω μοι παρεστάκοι, sed cum scholio: ἢ οὕτω μοι ἐρχέσθω ἡ Μοῦσα ὥστε με Δωρίδι διαλέκτῳ νεοποίκιλον ἐξαγγεῖλαι ὕμνον magis videtur convenire οὕτω μοι παριστάσθω.

non possit aliud carmen atque hoc ipsum significari. Praeterea autem duobus illis aoristis *ὀρθώσαις* et *εὑρόντι* vetamur illos versus ad carmen secundum referre, quia Pindarus illud epinicium nondum aggressus erat, cum haec scriberet. Itaque dubium non est, quin *ὕμνος Ὀλυμπιονίκας*, quem poëta nominat, ipsum sit carmen Olympicum tertium.

Proxime ad meam sententiam accedit Ionghius[1]), sed rem magis perstrinxit quam explicavit. In eo mecum consentit, quod Aristarchi et Didymi testimonio magis confidendum esse existimat quam reliquorum grammaticorum et reiiciendam esse censet fabulam illam de nuntio victoriae in theoxeniis Agrigentum pervulgato; non minus recte carmen ad victoriam Olympicam celebrandam, non alio pertinere contendit.

Iam in fine huius de carmine Olympico tertio disputationis quaeritur, ubi illud, cum Olympiae inter ipsos ludos compositum sit, recitatum esse videatur. Si igitur Theronem propter difficilem rerum Siciliensium condicionem regnum non reliquisse iure statuit Boeckhius, consentaneum est carmen Olympiae compositum per legatos, quos Thero ad ludos miserat, Agrigentum allatum ibique recitatum esse. Nam credi non potest Olympiae carmen ad praedicandam Theronis victoriam pertinens cantatum esse, cum ille procul Agrigenti versaretur. Accedit, quod Aristarchus et Didymus non minus quam reliqui grammatici, qui carmen ad theoxenia spectare contendunt, hoc persuasum videntur habere illud non Olympiae, sed Agrigenti recitatum esse. Si quid ex carminis argumento coniicere licet, non sine causa per maiorem carminis partem de sacris arboribus, quibus Hercules stadium Olympicum ornavit,

[1]) Hoc consensu eo magis gaudeo, quod libri inspiciendi facultas mihi eo tempore facta est, quo tota fere haec commentatio conscripta erat.

poëtam disseruisse suspicor. Cum ex illis arboribus coronae, quibus victores donari solebant, carperentur, satis probabile est ob eam causam Pindarum tam copiose eam rem exposuisse, quod iidem, qui carmen ad Theronem delaturi erant, coronam quoque a certaminis arbitris tributam domino tradere debebant. Sed hoc minoris esse iudico; carmen Olympiae compositum esse constat; itaque fieri non poterat, quin a legatis Theronis, quem Agrigentum non reliquisse iure statuitur, ad dominum deferretur. Quae cum ita sint, porro videndum est, utrum carmen Agrigenti in sollemnibus publice ad victoriam celebrandam institutis an domi Theronis audientibus amicis et familiaribus eius cantatum sit. Qua in re aliquantum momenti habet, quod poëta duo carmina ad eandem victoriam praedicandam scripsit. Aliquo iure enim inde coniicitur alterum carmen eo consilio compositum esse, ut publice, alterum, ut domi Theronis in comissatione recitaretur. Quodsi tenemus, statui potest maius et magnificentius carmen in sollemnibus publicis, simplicius in aedibus Theronis cantatum esse. Pindarum re vera eo consilio carmen Olympicum tertium conscripsisse, ut in comissatione domi victoris instituenda recitaretur, ex ipsius verbis cognosci potest. Musarum enim versibus 4 et 5 auxilium implorat, ut carmen, quod in comissatione splendeat, *φωνὰν . . . ἀγλαόκωμον* bene Dorico numero aptare possit. Illis verbis non minus clare quam carminis quarti versu 9 [1]) apparet carmen ab ipso poëta comissationi domi victoris agendae destinatum esse.

---

[1]) Cf. Ol. IV 8—9:

ὦ Κρόνου παῖ . . . .
Ὀλυμπιονίκαν δέκευ
Χαρίτων ἕκατι τόνδε κῶμον.

Quoniam de carmine Olympico tertio satis videtur disputatum esse, iam ad ultimam commentationis partem transeo, qua mihi docendum est, quo consilio Pindarus carmen Olympicum secundum composuerit. Sed cum in ea re testimoniis veterum grammaticorum, qui in interpretandis Pindari carminibus operam consumserunt, destituti simus, ex ipso carmine petenda sunt, quibus id diiudicetur. Hartungius carmen non ad celebrandam victoriam scriptum esse censet, sed Pindarum omnino Theronis virtutes praedicare voluisse et, cum Thero Olympiae victor renuntiatus esset, ea occasione usum esse contendit, ut amicissimo regi meritas laudes tribueret. Carmen non epinicium, sed paeana esse persuasum habet et obiter tantum poëtam victoriae Theronis mentionem fecisse affirmat. Sed, quae unicuique patent, modo diligenter ipsum carmen legat, ille non vidit. Versu enim 5 et 46 poëta clare professus est se Theronem propter victoriam Olympicam praedicaturum esse [1]), ita ut alios versus, quibus idem probatur, omittere possim. Quo autem loco carmen Olympicum secundum recitatum sit, si quaerimus, ea re, quod post tertium compositum est, apparet Olympiae in corona eorum, qui ad ludos spectandos convenerant, cantatum non esse. Ipso quoque carminis argumento docemur a Pindaro eo consilio id compositum esse, ut Agrigenti cantaretur. Namque res, quas ad carmen recte intellegendum novisse opus erat, vix cuiquam nisi Agrigentinis satis notae erant, iis autem ac praecipue

---

[1]) Cf. Ol II 5:

θήρωνα δὲ τετραορίας ἕνεκα νικαφόρου
γεγωνητέον.

Ol. II 46:

. . . . πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου
ἐγκωμίων τε μελέων λυρᾶν τε τυγχανέμεν.
Ὀλυμπίᾳ μὲν γὰρ αὐτὸς γέρας ἔδεκτο . . .

Theroni eiusque amicis altissime mente haerebant. Ita fieri poterat, ut, quaecumque leviter tantum et tecte indicata erant, penitus ab iis cognoscerentur. Postquam enim poëta in prooemio, quod versibus 1—7 continetur, Theronem sibi praedicandum esse professus est, fortuna maiorum Theronis enarrata demonstrat res adversas et secundas in hominum vita commixtas esse; multis laboribus superatis illos ad ripam fluminis sedem collocasse et prosperam condicionem nactos esse. Deinde Iovem Olympicum precatus, ut posteris eorum benigne sedes conditas servaret, inimicitias, quae paullo ante inter Theronem et Hieronem ob insidias Polyzelo paratas ortae erant, leviter attingens addit rerum, quae sive iure sive iniuria factae sint, nihil infectum fieri posse; oblivionem tantum earum parari posse prospera fortuna. Patet eam calamitatem, cuius medelam poëta a futura felicitate exspectat, paullo ante accidisse neque tum oblitteratam fuisse. Neque dubium est, quin hic locus in scholiis, ubi copiose de ea re disputatur atque ipse Didymus auctor nominatur [1]), recte ad inimicitias inter Theronem et Hieronem ortas referatur. Vix autem credi potest eas res omnibus, qui ad ludos spectandos Olympiam convenerant, satis notas fuisse, ut, quid poëta tam tecte designaret, cognoscerent. Soli Agrigentini non ignorabant, quo verba poëtae consulto ambigua et subobscura spectarent, quid iure, quid iniuria factum significare vellet. Itaque dubium non est, quin carmen Agrigenti cantatum sit, et hoc unum restat, ut definiamus, utrum a Pindaro scriptum sit, ut in sollemnibus publice ad celebrandam victoriam instituendis audiente universo populo an, ut in comissatione domi Theronis paranda audientibus amicis et familiaribus recitaretur. Haerterus Pindarum carmen Olympicum secundum eo

[1]) Cf. schol. ad v. 29 (— 15).

consilio composuisse censet [1]), ut domi Theronis cantaretur. Qua ratione adductus sit, ut statuat, quod nullo modo neque ex ipso carmine neque ex veterum interpretum adnotationibus stabiliri possit, ex ipsius commentatione, cum rem non explicaverit, cognosci non potest. Si vero sumimus, quod solum videtur probari posse, alterum carmen publice, alterum domi victoris cantatum esse, carmen secundum sollemnibus publicis destinatum fuisse statui potest, cum cognoverimus carmen tertium in comissatione in aedibus regis comparata cantatum esse. Accedit, quod, ut Schmidtius recte animadvertit, tota carminis compositio et si sententias et si rem metricam spectamus, talis est, ut non inter parietes domesticos, sed cum magnifico apparatu publice recitatum esse videatur. Sublimi huius epinicii argumento, quocum pauca tantum reliquorum, quae nobis praesto sunt, Pindari carminum comparari posse inter viros, quorum intellegens ea in re est iudicium, satis constat, ostendi mihi videtur eo consilio Pindarum summam artem in sententiis ex ipsa Theronis fortuna illustrandis praestitisse, ut in magna audientium contione publice recitaretur. Praeterea Pindarus laudes Theronis tali modo carmini inseruit, ut mihi, cum carmen iterum atque iterum legerem, magis magisque persuasum sit hoc eo consilio factum esse, ut epinicio publice coram civibus cantato omnium amor et verecundia in Theronem augeretur. Certe fatendum est has causas non tales esse, ut res prorsus absolvatur neque ulla dubitatio de consilio, quod in carmine secundo Olympico conscribendo Pindarus secutus sit, maneat. Sed si omnia animo complector, facere non possum, quin prorsus probabile esse contendam Pinda-

[1]) Cf. Haerter, „Die zweite olympische Ode Pindars übersetzt und erklärt“ in programm. gymn. Stendal. a. 1870. p. 6.

rum carmen, de quo agitur, composuisse, ut publice in contione omnium Agrigentinorum cantaretur. Schmidtius etiam longius procedere ausus in sollemnibus ad Iovem colendum institutis hoc epinicium recitatum esse arbitratur. Sed equidem fateor me nullum, quo hoc probetur, in carmine indicium indagare potuisse. Nam versibus 12—15, quibus Schmidtius fortasse ad illam sententiam adductus est, nihil probatur [1]). Ea re, quod poëta Iovem implorat, ut Theroni fortunam secundam praebere et terram a patribus acceptam posteris servare velit, omnino non indicatur carmen in sollemnibus ad Iovem colendum institutis recitatum esse Cur poëta tales preces cuilibet carmini ad laudes Theronis spectanti inserere non potuerit, nullam video causam.

Reliquum est, ut ea, quae hac commentatione effecisse mihi visus sum, breviter complectar. Certo igitur statui potest utrumque carmen ad eandem victoriam pertinere, carmen Olympicum tertium ante secundum Olympiae a Pindaro conscriptum, utrumque Agrigenti cantatum esse. Non minus, si quid video, constat reiicienda esse, quae in scholiis de victoria theoxeniorum tempore repŏrtata vel nuntiata narrantur et quae recentiores de carmine theoxeniorum festo destinato suspicati sunt. Non tam exploratum esse concedo, utrum carmen publice, utrum domi victoris recitatum sit, sed probabile videtur esse carmen tertium domi Theronis, secundum autem publice coram Agrigentinis recitatum esse.

---

1) Cf. Ol. II 12—15:

ἀλλ' ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας, ἕδος Ὀλύμπου νέμων
ἀέθλων τε κορυφὰν πόρον τ' Ἀλφεοῦ, ἰανθεὶς ἀοιδαῖς
εὔφρων ἄρουραν ἔτι πατρίαν σφίσιν κόμισον
λοιπῷ γένει.